

IDEA
PRVDENTIAE LITTE-
ARIAE GENERALIS

QVAM

PRAESCIENTE AMPLISSIMO PHILOSOPHORVM ORDINE
IN INCLVTA ACADEMIA ALTDORFINĀ
PRAESIDE

M. IOHANNI IACOBO PFIZERO

ALVMNORVM NORICORVM ET OECONOMIAE

INSPECTORE

AD D. III. ID. DECEMBER A. 1766.

PVBLCO DISQVIRENTIVM EXAMINI

SVBIICIET

HIERONYMVS ECKEBRECHT

NORIMBERGENSIS

TPIS EXSCRIPSIT

J. G. KOHLESIVS ACAD. TYPOGR.

78.

a. 1766. 34.

l. diss. A
34

INSTITUTIONE ACADEMIAE ALTDORFANA
RATTOHMIIVINCO OF PINERO
SACHS. LANDES- BIBL.



10.



JUVA JOVA!

S. I.



Quanta sit Prudentiae in Vita ^{Quid sit Prudentia?}

humana necessitas, quanta utilitas, iudicium demum norunt, quibus perspectum est, quanto in periculo versentur mortales, a vera Felicitate, quam omnes desiderant, aberrandi, quamque pro nihilo eligendi ea, quae revera noxia sunt, aut si vera bona eligant, obtineantque, abutendi illis, ratione admodum perversa. Comuni vero notione illum prudentem vocamus virum, qui ea, quae sibi vere bona & utilia esse cognovit, remotis omnibus obstaculis, per media apta & convenientia, obtinet, iisque impetratis ad veram summamque felicitatem consequendam & conservandam utitur. Hinc, qui scopum malum sibi praefigeret, quo per media solite exquisita potiretur, non prudens nobis esset, sed callidus, cum impossibile sit, ut illud, quod malum, injustum & inhonestum est, veram & constantem adferat utilitatem, sed, si maxime prima fronte blandiatur, in fine ostendat satis, eum, qui decipi se passus est, nubem pro Junone amplexum esse, atque adeo imprudentissime egisse. Neque vero etiam is, qui

A

opti-

nam fovens intentionem, media adhibet aut plane aliena, aut non sufficientia, adeoque sine suo excidit, ab imprudentiae nota absolvi potest. Quo vitio quoque laborat, qui bonum verum & solidum obtinuit quidem, sed negligens rursus amittit, aut illo sic utitur, ut majore, vel ipso etiam summo bono, inde privetur. Cicero non sine ratione hanc virtutem inter eas enumerat, quae in voluntate positae sunt L. V. de Fin. p. m. 149. Si quidem non tantum *Intellectus* habet in exercitio prudentiae, quod cognoscat, sed & quam maxime *voluntas*, quod agat. Requiritur scilicet *ratione Intellectus* sufficiens & vera *Cognitio*, tum *Finis*, qui debet esse bonum verum, solidum, & vel summum, vel summo subordinandum, tum *subjecti*, quod debet esse idoneum & viribus satis instructum, tum *Mediorum* adaequatorum & ad finem ducentium, tum denique *Impedimentorum* quae sunt removenda. Sed haec non sufficiunt: illum enim, qui haec omnia optime novit, eleganterque ac graviter de illis differere potest, interim vero, bono, quod eligendum agnoscit, destitutus manet, & media, quae adhibenda non nescit, adhibere omittit, illum, inquam, Prudentem dicere, idem esset, ac aegrotum, qui de sanitate multa profert, sanum vocare, aut pauperem, cui thesauri aliorum cogniti sunt, divitem. Accedat ergo *voluntas* necesse est, atque hac cognitione efficaciter moveatur, ut, facta, pro ratione circumstantiarum, applicatione, revera homo ad finem illum obtinendum feratur, media ad illum consequendum idonea eligat, obstacula removeat, & Bono suo, quo potitus est, feliciter utatur.

§. II. Prudentia, pro varietate objectorum, circa quae versatur, & Finium, quos sibi proponit, ipsa varia est atque diversa. Dividitur plerumque in *Communem* & *Privatam*. Haec est, qua nobis ipsis recte prospicimus: illa, qua aliis quoque. Id quod non una ratione fieri potest. Si quis enim Familiae profit,

Pru.

Prudentia *Oeconomica*, si toti Civitati, *Civili* pollet. Prudentiae Civilis species constituuntur *Legislatoria*, *Consultatrix* & *Judiciaria*, quibus in toga Reipublicae consulitur, quemadmodum in sago prudentia *militaris* obtinet. Ad Communem quoque *Prudentia Ecclesiastica* pertinet; quae integro coetui Ecclesiastico consulit, ejusque utilitatem & aedificationem, legibus salutaribus, ritibusque sacris, promovet. Sed nec *Prudentia Litteraria* omittenda est penitus, sed partim ad Privatam, partim ad communem referenda, qua nempe homo solidam eruditionem sibi comparare, comparata vero in Dei gloriam, aliorumque emolumentum propriamque salutem uti laborat. Differt haec Prudentia Litteraria ab ipsa eruditione, circa quam, tanquam objectum suum, versatur, quemadmodum Prudentia Mercatoria & Oeconomica à mercibus, rebusque ceteris, quas comparat, & distribuit rursus, distincta est. *Opulentiam & similia Prudentia, ceteris animi viribus & officiis praesidens, utilia reddit: Imprudentia vero contraria est vox Platonis in Menone; idem de eruditione dicere possumus, quam prudentia demum vere utilem & proficuam reddere potest. Est eruditio vera ac solida rerum ad veram felicitatem utilium cognitio: Prudentia Litteraria vero modum partim praescribit ad cognitionem talem perveniendi, partim vero, & praecipue quidem, rationem ostendit, illa sic utendi, ne quid vera nostra Felicitas detrimenti inde capiat, imo, quod magis est, ut ipsa amplius augeatur in nobis atque promoveatur. Scilicet non verae sunt scientiae, vel saltem non verus earum usus est, nisi Prudentia quadam sint temperatae; ea enim ubi abfuerit, fieri facile potest, ut cum modum non tenuerimus, id consequamur, ut cum ratione vulgo insanire credamur, inquit, Morhof. Orat. de Otio Sap. dando p. 168. Prudentia ergo tum rationem designet, per media convenientia eruditionem comparandi, tum vero comparatam dirigat, ne a*

Quid Prudentia Litteraria?

vera Felicitatis meta aberret, sed recta potius iustaque ad illam via tendat. Unde patet, ad *duo* redire *capita*, quaecunque de Prudentia Litteraria commemorari possunt, quorum *prius ad Acquisitionem*, *posterius ad Usam* spectat; illud circa *impetrandam Eruditionem*, hoc circa *impetratam* versatur. De utroque, non pro dignitate Materiae, sed paucis, & primis quasi ductis Lineis, agendum est.

Versatur
I. circa Eruditionis
ac-
quisitionem.

§. III. Prudentia Litteraria, quatenus circa *Eruditionis Acquisitionem*, aut circa eruditionem *impetrandam* versatur, absolvitur consideratione *Finis, Subjecti, Mediorum & Impedimentorum*. Quicumque ergo ad eruditionem impetrandam animum intendit, considerare debet primo *finem* & scopum, quem sibi praefigit, ipsam nempe *Eruditionem*; porro *seipsum*, suasque animi corporis & fortunarum vires; deinde *media* quibus ad scopum illum tendendum est; tandemque *obstacula*, quae removenda sunt, ne cursum coeptum impedian. Quae consideratio tamen, quod saepius animo volvendum est, non nuda aut theoretica tantum, sed practica esse debet, ut in primis in electione mediorum, & impedimentorum remotione, voluntati efficaci utamur, eaque, quae bona & utilia, facienda & exercenda iudicavimus, ipso exequamur opere.

Ubi i. con-
sideratur Fi-
nis:
Eruditio.

§. IV. *Finis*, ad quem in praesenti negotio tendimus, est *Eruditio*: non tamen ultimus, sed intermedius, quique adeo ultimo debita ratione subordinandus est. De cuius genuino conceptu non sine ratione in limine statim solliciti esse debemus, cum eruditi de ipsa eruditione dissensiones foveant. Equidem, si vim vocis spectemus, ad eruditionem pertinent omnia ea, quae animum hominis, natura *rudem*, poliunt quasi, & quacunque ratione exornant; Sed usus vocem restrinxit ad cognitionem non qualemcunque, sed methodicam, solidam & a vulgari distinctam. Communissime nunc eruditionis nomine intelligitur *notitia*

titia vera ac solida rerum divinarum, humanarumque ad huma- Genus e-
ni generis usum atque felicitatem comparata. Quamvis enim jus.
 nonnulli addere malint, esse cognitionem rerum *vulgo ignora-*
tarum, ex ea ratione, quia nemo rem, etsi utilissimam, omni-
 bus tamen, etiam infimae plebis hominibus, perspectam ad
 eruditionis objectum sit relaturus: Nescio tamen, annon potius
 differentiae momentum, & ratio, quare talem cognitio-
 nem non pro eruditione habeamus, quaeri debeat *in modo co-*
gnitionis, qui in eruditione esse debet solidus, ex intima rerum
 consideratione profluens, iustisque rationibus & principiis inni-
 xus, non superficialiter tantum, & proletarius: Vt taceam pro-
 moveri hac ratione vitium illud mortalium commune, quo ad-
 modum proni sumus spernendi res utilissimas, quia sunt vul-
 gares, illisque alias minoris, aut plane nullius utilitatis prae-
 ferendi, ex sola hac ratione, quia talia tanquam subtilissima &
 sublimia ignoret vulgus. Ex quibus, ut & ex additione vocum
cognitio vera & solida patet, quid statuendum sit, de divisione
 eruditionis in *solidam, superficiariam & falsam*; esse scilicet il-
 lam aequivoci in sua aequivocata, neque eruditionis nomen, no-
 stra quidem significatione, cognitioni superficiali, multo mi-
 nus falsae, attribui posse, nisi aequivoce & improprie. Ceterum co-
 gnitio haec vera, aliquando *certa* est, aliquando *probabilis* tan-
 tum & verosimilis. Quamvis enim praestaret semper certitu-
 dinem consequi, saepius tamen ob rerum sublimitatem, no-
 stramque imbecillitatem, subsistendum nobis est in cognitione pro-
 babili, quae quo similior est vero & propior certitudini, eo perfe-
 ctior etiam est, quantum quidem in hac rerum imperfectione fieri
 potest.

§. V. Dicitur porro Eruditio Cognitio *rerum divina-* Objectum
rum humanarumque, unde de *Objecto* Eruditionis dispiciendum
 est. Illud communiter *Linguas* dicunt esse & *disciplinas*. Non
 desunt

desunt tamen, qui Linguarum cognitionem partem eruditionis esse negant v. *Cleric. praef. ad Art. Crit. §. 3. Lang. Med. Ment.* p. 603. 654. aut multas callere linguas minimam eruditionis partem esse judicant. v. *Thomas. Introd. Log. c. 1. §. 39.* quamvis concedant viam strui illis ad Eruditionem, esse Instrumenta, ad rerum tum investigationem tum communicationem facientia. contra quos *veram Linguarum quarundam eruditionem* pecc. diff. vindicare laboravit *M. Frid. Strunzius Vitenb. 1707.* E contrario *Casaubonus ad Aug. Suetonii c. 89.* Eruditos proprie esse vult, qui *φιλολογίαν*, h. e. historiae & rerum antiquarum cognitionem litterasque humaniores tenent. Quemadmodum vero solis Criticis & Philologis Eruditionis laudem propriam esse negamus; ita priorem disceptationem in *λογομαχίαν* degenerare parum abest, quin dicamus, praesertim si consideremus, unam eandemque rem, & *Partem* esse posse & *Instrumentum*, neque implicare, si quis Linguas *Partem Instrumentalem* Eruditionis vocare velit, neque errare eum, qui per *Rerum* cognitionem illa etiam omnia intelligat, quae viam ad illam pandunt. Quamvis enim concedendum sit omnino, in ipsis verbis, abstracte consideratis, non esse quaerendam eruditionem; fatendum tamen etiam est, Voces esse signa rerum neque cognitionem Linguarum in sola Verborum notitia consistere. Non igitur separanda sunt haec, aut opponenda, sed conjungenda & subordinanda, ita tamen, ut res suo merito verbis praeferantur. Faciunt huc forte, quae apud *Cic. de Orat. p. m. 278.* habentur, *neque infantiam ejus, qui rem norit, sed eam explicare dicendo non queat; neque inscitiam illius, cui res non suppetat, verba non desint, esse laudandam; quorum si alterum sit optandum, malim equidem indisertam Prudentiam, quam stultitiam loquacem.* Hinc *Melancht. in ordine studiorum Principi cuidam juveni A. 1591. praescripto*, monet finem

finem

finem studiorum esse *pietatem sapientem & eloquentem*; excolendam esse *rationem & orationem*, dotes hominis praecipuas & proprias, quibus ceteris animantibus longe excellat.

§. VI. Additur tandem, hanc cognitionem comparatam esse debere ad *humani generis usum*; quo ipso eruditio *utilis* ab *inutili & inani* cognitione, eruditionis speciem mentiente, discernitur. Sunt, qui tertium quoddam genus, inter eruditionem utilem & inanem, medium addunt, nempe eruditionem *elegantem & curiosam*. v. *Rechenb. de Stud. Acad. c. l. §. 4. 6. p. 3. Pufend. d. I. N. & G. L. 2. c. 4. 13.* Sed monet *Buddeus in Diss. de Cultura Ingenii c. l. §. 10.* illam aut usum praestare, aut non praestare: Si praestet, quamvis ad delectandum quoque vim habeat, referendam tamen ad utilem: Si non praestet, neque per se, immediate, neque mediate, ita ut artibus, quarum utilitas manifesta, ministret, ad inanem pertinere. Fluit ex hoc conceptu genuino hactenus proposito tanquam fonte, enumeratio partium ad eruditionem spectantium: Promovetur enim hominum felicitas vel vitae alterius securitatis, per emendationem spiritualem ex lumine supernaturali & divina revelatione suscipiendam, vel vitae hujus per lumen rationis naturale; idque varia rursus ratione: Vel enim utilitas resultat ratione animi, qui quoad intellectum & voluntatem politur, vel ratione corporis, cujus sanitas, profligatis morbis, restituitur & conservatur, vel ratione fortunarum & securitatis externae, ubi innocentes contra improborum injurias defenduntur, vel denique ad haec omnia & singula via panditur, animique praeparantur. Quae ratione, quomodo *Theologia, Philosophia, Medicina, Jurisprudentia, Litterarumque Humaniorum & Instrumentalium* cognitio ad eruditionem pertineant, cuius cognitum esse potest atque perspectum.

§. VIII. Sed quaeritur jam, an haec eruditio, de cujus conceptu genuino laboravimus, rationem Boni habeat? an liceat tendere ad illam tanquam ad finem? Quaestio haec, an res

Finis.

An sit Bonum aliquod.

Finis

Finis loco proposita sit bona? in thesi summe necessaria est. Sane, qui scopum sibi noxium praefigit, bonumque apparens, non verum, appetit, nec utilitatem suam promovere, nec prudenter agere dicendus est. Imo id ipsum, quod absolute consideratum Bonum aliquod esset, amittit tamen rationem Boni, si per illud privari nos bono majori, vel summo plane, contingat; & qui talem finem sibi proponit, qui ultimo subordinari non potest, sed illum evertit, imprudentissime agere censendus est, non minus ac mercator, qui uno in loco centum thaleros lucratur, eo ipso autem alibi aliquot milia perdit. In hypothesis vero, sive applicatione ad eruditionem, quaestio superflua videri posset, imo deberet etiam esse, adeo ut eruditionis utilitatem ostendenti idem sit opponendum, quod olim cuidam justitiam impensius laudanti, *quis eam unquam vituperavit?* Non desunt tamen, qui justo minus eruditionis pretium ponentes, litteras inutiles, imo plane perniciosas clamitant, idque *vel* ideo, quod homines illis imbutos, ad negotia gerenda vitamque civilem ineptos reddi, *vel* in acquisitione & perceptione Summi Boni, unionis cum DEO, impediri sibi persuadent. Enimvero neque rationis lumen homini frustra datum, sed animus omnino ad aliorum usum etiam poliendus & ornandus est; neque vitia eruditorum eruditioni tribuenda sunt; neque abusus, qui forte occurrit aliquando, usum rei laudatissimae & utilissimae tollere debet. Hoc tantum inde sequitur, prudentiam litterariam non tantum circa eruditionis acquisitionem, sed & circa usum ejusdem versari debere; quod lubentissime concedimus,

*An omnes
illius partes
sectandae?*

§. IIX. Cum igitur certum sit, eruditionem tanquam finem bonum posse praefigi, simul tamen constet, varias illius esse partes, amplissimum ambitum, an ad omnes, an ad plerasque animus sit attendendus, sive an *πολυμάθεια* sit sectanda, non immerito ambigas; ubi quidem prudentiores monent, vitanda es. se duo

se duo extrema eorum , qui in *excessu* & qui in *defectu* peccant. Sunt enim , qui nec *πολυμαθειας* vastitatem , nec ingenii sui , vix uni parti iuste pertractandae suffecturi , tenuitatem satis perpendentes , sed splendidum Polyhistoris nomen ambitiose affectantes , aut curiositati suae & voluptati litterariae nec finem nec modum ponentes , omnia perreptant ; studiis etiam diversissimis se applicant , adeoque dum omnia sectantur , ne unum quidem assequuntur. Alii vero unum studiorum genus ita eligunt , ut reliquorum plane rudes permaneant , quasi agraria lege , aratroque velut circumducto disciplinarum fines definiti , singulisque artibus certi possessores ac domini assignati essent ; ita ut , citra grande crimen , nemo aliam , quam semel elegit , ne attingere quidem debeat ; cum tamen scientiarum nexus sit atque cognatio , ut in una excellere nequeat , qui ceteras plane negligit. Placet ergo praeceptum , quod *Alexander Fichetus* in *arcana studiorum methodo* primo posuit loco : *Nosse Facultates omnes , unam profiteri* , & quod *Fortius Ringelbergius* de ratione studiorum suadet , *ut qui libet ex unaquaque disciplina decerpit , quod ad scopum suum confert*. Illustrat rem omnem simile elegans quod ex *Nicolao Damasceno* , in *Excerptis Peirescianis* p. 416. & *Suida* depromit *Morhof. Polyb. c. 1. p. 4. Disciplinarum Orbem similem esse peregrinationi* , ubi peregrinantes , in quibusdam diversoriis prandendi causa commorentur , in aliis pernoctent , & in nonnullis locis plusculos dies consistant , alia vero obiter tantum ac praeter gredientes adspiciant , tandem autem reversi in suis penatibus degant : ita etiam eos , qui litteris operam navant , in quibusdam brevius , in aliis cominorari diutius oportere , & has quidem integras perdiscere , illas vero duntaxat delibare , tandem ad unam , tanquam ad Patriam & lares reversos considerare. Juvat hinc partium , quibus vera constat eruditio , cognitionem quasi praeliminarem primum sibi comparare , saltem ut sciamus ,

B

quae.

quaenam sit illarum natura & constitutio, quae analogia & connexio, tum in se, tum respectu habito ad alias disciplinas, quis usus, quae fata & quae sunt similia; Tum vero illi studio, quod prae aliis elegimus, penitus adhaerere, illudque, collatis ex reliquis partibus, quae in nostra disciplina vel necessaria vel utilia sunt, ex instituto pertractare.

Quaenam
prae ceteris?

§. IX. Quodnam vero genus studiorum eligi debeat, prudentia litteraria, ratione finis constituendi, ultimo quaerit: ubi in genere quidem responsio est, quae majorem generi humano usum praestant, praeferenda esse aliis, quaeque mentem nostram magis perficiunt atque exornant; illa ex aduerso esse negligenda, quorum usus tantus non est, sive ratione nostrum sive ratione aliorum. In specie autem ut responderi possit, consideratio subjecti, quoad potiores circumstantias, instituenda est, ad quam ideo pedem promovemus, modo unicum hoc addamus. Scilicet electo uno certo studiorum genere ex reliquis partibus illas magis aut minus esse excolendas, quae majorem aut minorem in nostro studio habent vel necessitatem vel utilitatem, ita, ut, quo magis necessaria est connexio, quam una ex reliquis litterarum partibus cum nostra habet, eo diligentius illam excolere debeamus; illis, quae ad scopum nostrum non adeo faciunt, vel plane praetermissis, vel saltem negligentius tractatis.

conf. 2. sub-
iectum ra-
tione animi,

§. X. Constituto prudenter fine, *subjectum* quoque considerandum est, ino hujus consideratio ad praefigendum scopum specialem facit quam maxime. Considerandum autem est subjectum, tum ratione *animi*, tum ratione *corporis*, tum ratione *reliquarum circumstantiarum externarum*. Ad considerationem subjecti ratione animi pertinet doctrina *de Diversitate Ingeniorum*, quam ab aliis fusius tractatam tuto nobis supponere licet. v. *Huarti scrutinium Ingeniorum*, *Richerii obstetrix animorum*, *Neubusii Theatrum Ingenii Humani*, *Buddei diss. de cultura Ingenii* & quae sunt

sunt alia. Ex quibus patet, ingenia studiis apta debere gaudere sufficienti mixtura *Judicii*, *Ingenii* speciatim ac pressius summi, & *memoriae*; eos, qui vel omnibus his virtutibus simul destituantur, vel quibusdam in mediocri vel infimo gradu gaudeant quidem, sed ceteris careant, ineptos esse ad litteras; tum horum tum illorum esse gradus, qui a variis varie enumerantur; inter ipsos, qui ad litterarum studia apti sunt, non exiguam reperiri diversitatem. quatenus vel *judicium*, vel *ingenium* vel *imaginativa vis*, vel *memoria* praeponderat. Unde prudentia litteraria facile praecepta sua atque regulas format: Illis nimirum, qui perfectionibus animi ad tractanda studia necessariis, plane, aut notabili saltem gradu, destituuntur, dissuadet litteris operam dare; reliquos jubet, facta ingenii exploratione, id sequi studiorum genus, quod cum ingenii virtute praedominante quam maxime convenit, illud vero omittere, quod alia longe requirit, quam quibus se instructum esse sentiunt. Sic v. g. studium linguarum memoriae gradum sufficientem, eloquentia & poesis ingenii specialis vim, practica studia *judicii* *ἐνέργεια* postulant; ubi prudentia suadet, ut illi, qui talia dona animi possident, ceteris paribus, haec consecrentur studia, illi vero qui ejusmodi requisito necessario, aut saltem sufficienti ejus gradu, destituuntur, omittant, ne quid invita *minerva* suscipiant, suamque perdant operam. Patet inde, quam necessaria sit ingeniorum exploratio, veteribus jam philosophis usitata, tot virorum nostra aetate celeberrimorum votis expetita v. de *Pythagora* c. 9. L. I. Noct. Att. *Gellii*, & ad illud doctissima *Schilteri* diatribe de *disciplina Pythagorica*, de *Aristotele* c. 20. L. IV. Natura enim & hoc in negotio merito primas tenet: *neque enim naturae attinet repugnare, nec quicquam sequi, quod assequi nequeas*, uti prudenter monet Cicero in *Bruto*. Quod meminisse debebant illi parentum, qui filios, in utero matrum etiam adhuc latentes, sine praevia aptitudinis

dinis ineptitudinisve exploratione ad certum aliquod studiorum genus destinare, aut postea, etiam, vel invitos admovere solent, peccantes in Deum, cui optimum quodque offerendum; in miseros infantes, pueros & adolescentes, quos contra animi propensionem per omnem vitam vivere volunt; denique in semetipsos, optatis votorum successibus plerumque carituros, judicante sic *D. I. A. Schmidio, in Meditationibus de Studiose Theol. fatis, vita & studiis.*

Corporis

§. XI. Enimvero neq; corporis plane nulla habenda est ratio, quippe cujus fulturis animus erigitur ac sustentatur Tanta scilicet est vinculi illius, quod ex sapientissimi Conditoris dispositione inter animum intercedit atque corpus, vis ac efficacia, ut languente hoc, ille etiam in functionibus & operationibus suis impediatur; maxime cum plurimae ejus operationes ope spirituum animalium peragantur, qui turbati & corrupti omnia etiam turbant & corrumpunt; Unde non immerito illi, quorum sanitati damnum haud reparandum inde oritur, sciendi ardorem temperant, illi vero quorum vires tanto oneri impares plane videntur, aliud vitae genus eligunt. Praecipue vero, cum inter ipsas studiorum partes quaedam sint, quae certam quandam corporis dispositionem necessario requirunt, omnino etiam ratione illarum specialis exploratio instituenda est. e. g. cum studium homileticum, praeter cetera Requisite, ratione corporis etiam laterum quandam firmitatem, vocis certam atque articulatam dispositionem viresque sufficientes postulet, merito illud omittet, qui in talibus defectum, vel omnimodum, vel insigni gradu, neque refarciendum sentit: eadem ratione, quos in visitatione aegrotorum horror & pavor perfundit, medicinae studium tutius praetermittent aliisque relinquent.

Circum-
stantiarum

§. XIII. Jam quod tandem ad *Circumstantias externas* v. g. Nationem, Sexum, aetatem, Opes, statum &c. attinet, illa.

illarum consideratio insuper habenda non est, ut videamus, an illae forte nos a Litterarum studiis penitus excludant, an un-^{externa-}
certo generi admoveant, ab aliis revocent. Sane integris Na-^{rum in ge-}
nationibus quidam, quas barbaras ideo vocant & cultioribus op-^{nera.}
ponunt, omniam fere aditum ad Litterarum Sacra intercludunt,
ingenii acris, illustris, limati excellentiam denegant, quem in
censum nonnulli ex Gallis v. g. *Perronius Cardinalis, Bohours,*
Baillet alique, ipsos *Germanos* referre, illisque, tanquam So-
cios, *Moscovitas* addere non dubitarunt, castigati ideo a *Jo-*
hanne Friderico Cramero, qui peculiari ad Frid. Bened. Carpzo-
vium Epistola, Berolini 1694. in fol. edita, *Vindicias Nominis*
Germanici contra quosdam obrectatores Gallos paravit. Immo
iplos Moscos Monarcha illorum Potentissimus satis vindicavit
atque defendit, dum Magnatum nonnullos, qui Moscorum in-
genia studiis inepta esse, & sumtus in itinere impendendos fru-
stra profundi, asseruerant, verbis tanto Principe dignis objur-
gavit, *Ergone inquires, infeliciores ceteris gentibus nati su-*
mus? Quod Numen ineptas nostris mentes infuderit corporibus?
Num manus, num oculi, num eadem habitudo Corporis nobis
non obtigit, quae exteris nationibus ad interiorem animi cul-
turam sufficiunt? cur soli degeneres rudes animos habemus? cur
soli humanae sapientiae gloria indigni excidimus? Hercule, idem
animus nobis, eadem possumus, modo velimus. Omnibus ete-
nim natura fundamenta dedit sememque virtutum, omnes ad
ista omnia nati sumus; cum irritator accedit, tunc illa animi
bona, velut sopita excitantur, uti refert Job. Georgius Korb
in Diario Itineris in Moscoviam Ignatii Christophori Nobilis do-
mini de Guarient & Rall ab Imp. Leopoldo ad Tzarum Petrum
Alexiovicium a. 1698. Abligati Extraord. p. 180. v. Acta Erud.
a. 1708. p. 218. Quamvis igitur aeris circumfusi, cibi, potus
& aliarum hujusmodi rerum conditio non plane nihil ad sta-

tum ingeniorum conferat, certum tamen est, maximam vim esse consuetudinis atque Educationis; ubi non tempero mihi, quin *Crameri* verba apponam, qui l. c. sic tandem concludit: ego, ut rem in pauca conferam, cum animo meo sic constitutum habeo; quod ad ingenium humanum attinet, duas tantummodo esse nationes, nullis certis finibus circumscriptas, sed per universum terrarum orbem sparsas: unam eorum, qui à teneris unguiculis prava institutione corrupti, contemptis bonis artibus, & humanitatis cultu neglecto, extingui igniculos ingenii & obrui barbariei & ignorantiae tenebris patiuntur, quos ingeniosos & elegantes homines nemo dixerit, sive Galli sint, sive Germani, sive denique Poloni: alteram eorum, qui felici sidere nati, insitas ingenii & animi dotes, ac puerili educatione solerter excitaas, omni vita, sapientiae & earum artium, quae ab humanitate nomen acceperunt, studiis perpolire & frequenti politionum huiusmodi usu limare instituerunt, atque adeo Patriam, qualiscunque ea demum sit, singulari ingenii laude possunt exornare. Cui ex ipsis Gallis *Urbanus Chevreau* adstipulatur, ubique terrarum dari homines prudentes & ineptos asserens in *Chevraean* s. p. 92. Idem nunc ratione sexus, aetatis, fortunarum, status, & quae sunt similes circumstantiae externae, asserendum est: neque enim vel foeminae vel juvenes, vel senes, vel pauperes, vel principes, vel nobiles vel alii quicumque, modo alias sint apti, coeteraque sint paria his ab adytis removentur penitus, qua de re regio jam celeb. *Buddeus de Cult. Ing.* c. II. §. I. --- 7. quae omnia repetere animus non est.

In specie.

§. XIII. Id potius considerandum superest, annon haec circumstantiae externae certum aliquod studiorum genus eligendum vel suadeant vel dissuadeant? quae in speciali consideratione non desunt rursus, qui integris nationibus sua quasi pensa distribuunt, certa litterarum genera definiunt, quibus tractandis haec

haec

haec vel illa gens non infeliciter operam suam navaverit, vocatis in subsidium moribus & constitutione temperamentis, populo isti communiter attributis. Ita *Gundlingius* P. I. *Otiorum, de Hispanorum* temperamento agens, observat illos res judicii praeferre illis quae memoriam aut ingenium postulant, c. I. §. 30. & *Struvius* *Introd. in Not. Rei Litterariae* p. 45. edit. prim. à patria Auctoris judicandum censet de libris, eaque occasione de populorum integrorum studiis nonnulla observat; quamvis omnino fatendum sit, haec omnia suas admittere exceptiones, & si qua universalitate, morali tantum gaudere. Ratione *aetatis* electio certi cujusdam studiorum generis magis considerari meretur, siquidem illa, quae vim notabilem memoriae postulant, ei utique aetati tribuere convenit, quae felici memoria, vividaque imaginatione prae aliis gaudet, aliis, quae judicium maturum & subactum requirunt, in eam dilatis aetatem, quae firmata magis est ac roborata. Hinc *linguarum* studium primis pueritiae & juventutis annis feliciter procedere & commendari ideo solet a prudentioribus, ita ad cognitionem & Praxin *Logicae* solidioris *Thomasius* mediam aetatem ab anno 12. vel 14. ad 30. & quod excurrit, convenientissimam putat, quia pueri ob defectum maturioris judicii neque axiomata generalia, neque praesudicia debita ratione cognoscere possint; Senes vero, licet facilius talia cognoscant, aegre tamen ad praesudiciorum inveteratorum correctionem adducantur. *Prax. Leg. c. I. §. 10. 11. 12.* De cognitione *Historiarum* disceptarunt *Keckermannus de Nat. Hist. P. I. c. 1, p. 10.* & *G. I. Vossius de Arte Hist. c. 5. p. 31.* quos committit *Deg. Whear. in Rel. Hiem. P. II. Sect. 1.* ita tamen, ut partes prioris, juventuti cognitionem historicam damnosam esse censentis, aliquatenus defendat; quod quidem si de solida & pragmatica cognitione, judicium & experientiam postulante capias, admitti potest & debet, modo id simul certum maneat, cognitionem rerum gestarum
nudam

nudam optime ea institui aetate, qua memoria est florentissima & tenacissima. Eadem ratione respectu *Fortunarum* prudentia litteraria suadet iis, quibus res angusta domi est, omittere tale studiorum genus, quod vel ingentem librorum apparatus, vel sumtuosam Instrumentorum copiam flagitat, iisque relinquere qui florent opibus, nisi forte hunc defectum, instinctus naturae, ingenii singularis aptitudo, & Moecenatum benignitas suppleverit. Nec minus *statum*, dignitatemque subjecti considerare jubet, ut inde de fine prudenter constituendo judicari possit: ita longe aliter principes, summae rerum, patriaeque fati dirigendis destinatos, aliter nobiles, castra aut aulam secuturos, aliter privatae sortis juvenes erudiendos esse, ipsa sana suadet ratio. *Hugo Grotius* de studiis *Caroli Gustavi*, postea Regis Sueciae formandis in consilium vocatus, negavit principes diu rebus theoreticis inhaerere debere, sed mox ad ipsam praxin, rerumque gerendarum exercitium deducendos esse. *Jacobus I.* Angliae Rex, proprium exemplum, prudenti monito ad filium refutavit quasi, *Liberalium artium studiis imbutum Te volo, quantum satis est Regi, non ex cultum, quantum exigitur a Professore.* in *Dono Regio, sive de Instit. Princ.* L. II. p. 64. Et, quod ad privatos attinet, alia sane studia sunt excolenda ei, qui in aula, alia qui in curia & foro se olim applicare constituit: alia sunt tractanda & exercenda ei qui Ecclesiae, alia, qui scholae suam dicaturus est operam, nisi quis olim conqueri velit, se ea, quae sibi nunc necessaria & utilia sint, ignorare, quia non necessaria & non utilia, saltem ad scopum suum, didicerit. His igitur omnibus diligenter expensis, & electo genere studiorum, quod subjecto conveniens est, ad ipsam studiorum tractationem se confert prudentia litteraria tum de mediis adhibendis, tum de impedimentis removendis sollicita.

§.XIV.

§. XIV. Inter *Media* principem suo merito locum obtinet *gratia Dei piis precibus impetranda*, sine qua reliqua omnia ^{confid. 3.} *Media.* optato carebunt successu; saltem eum usum in impetrando & ^{Gratia Dei.} conservando Summo Bono, cui subordinari debet, non praestabit eruditio, quem praestat, si omnia bona & dona a Patre Luminum piis precibus impetrentur, & postea sanctificentur. Sed cum haec alius sint loci, illa tantum *media generalia* ad eruditionem acquirendam necessaria recensere fas est, quae à prudentia litteraria diriguntur & ad finem consequendum aptiora redduntur. Eminent inter illa *Institutionis vivae usus*, de cujus ^{vivae Institutionis usus} vario ac multiplici fructu multi multa jam dixere. Habet enim, inquit *Hieronymus in Ep. ad Paulinum*, nescio quid latentis energiae viva vox, & in aures discipuli, de auctoris ore transfusa fortius sonant. *Et Plin. L. 2. Ep. 3.* Legendi semper erit occasio, audiendi non semper. Multo magis, ut vulgo dicitur, viva vox afficit; sive ut *Quintil. L. 1. c. 2.* viva illa (ut dicitur) vox plenius alit. Jubet igitur prudentia litteraria uti hac occasione, ubi & quamdiu licet, adire Praeceptores vivos, & eos quidem praecipue, de quorum doctrina, prudentia didactica, & fide optima quaevis sperare possumus, pendere ab ore illorum, imo illis intimius innotescere, a vide excipere, quae proponunt, dubiorum quae oborta sunt, solutionem expetere, illisque uti commodis, quae vivae institutionis usus promittit. *Idem enim & docenti & discenti debet esse propositum, ut ille prodesse velit, hic proficere* inquit Seneca Ep. 108. Ab uno ne integrum studiorum nostrorum cursum haurire expediat, an hanc in rem *plures* adhibere conducat, dubitare possis, cum *prius* Principiorum ac hypothesium melior connexio suadere, *posterius* multum facere videatur ad evitanda praejudicii autoritatis augmenta, & ut mature, praeeunte quidem praeeptore, adsuefiamus sententiarum momenta & pondera conferre, utque varios proponendi

C modos

modos observare, & praeceptores, uti mortuos, ita vivos quoque, sua quemque in parte optimum, eligere discamus; quae posteriora commoda, equidem, salvo prudentiorum judicio, potiora esse arbitror. Sed & de modo audiendi non inutilia prudentia litteraria praecipit. Vult ante omnia, ut studium illud audiendi sit *constans* ac perpetuum, non interruptum, aut hiulcum; alias connexio doctrinarum, quae anima studiorum merito vocatur, inde turbatur, & auditor hac ratione quidem conclusiones aliquas, non vero nexum, quem conclusiones tum inter se, tum cum principiis habent, intelligere discit, id quod eruditioni solidae e diametro adversatur, & ad superficialiariam via est certissima. Suadet porro, ut auscultatio sit *attenta*, & ut hoc obtineri possit, praeparatio antecedit, omnibus cogitationibus alienis, attentionem nostram turbaturis, quantum fieri potest, expulsis: juvat igitur doctrinam explicandam meditatione propria jam antea occupare, ut deinde, explicatione facta, in iis, quae recte affecuti sumus, confirmemur, ubi aberravimus, corrigamur, ubi dubitavimus, instruamur. Consulit tandem prudentia litteraria auditori sedulo & attento, ut audita quoque *repetat*, quo memoriae eo tenacius inhaerere possint; ut illorum, quae dubia, incerta, aut obscura ipsi adhuc videntur, confirmationem aut illustrationem postulet; ut denique ea observet, quae deinde ratione meditationis & exercitationis dicentur. Quae omnia eo magis ad animum sunt revocanda, quo minus saepius nobis obtingit occasio praeceptoribus vivis diu utendi, aut defectum, qui ratione hujus vel illius disciplinae, nobis obortus est, commode rursus supplendi, praesertim cum incommoda auscultationis praepostere institutae fere majora sint, quam plane omissae. Haec enim nudam tantum gignit ignorantiam, quae, si discendi cupiditatem conjunctam habeat, expelli adhuc potest; illa vero cognitionem perversam, superficialiariam & erroneam saepius, quae, quia plerumque cum opinione eruditionis,

inde-

indeque orta ambitione & pertinacia connexa est, correctionem penitus omittit & averfatur. Conferantur quae tum circa totum nostrum argumentum, tum praecipue circa ἀκρόασις, ἀνάγνωσις &c. elegantissime monuit *Franc. Bonnaeus* Prof. Genev. de ratione discendi, libello utilissimo, sed rarissimo.

§. XV. Praeceptoribus vivis jungendi nunc sunt mor- *Letitia*
tui, loquentibus muti; id quod semper consultissimum judicant prudentissimi viri, ita ut arbitrati sint, cum & auditio & lectio sua habeat commoda & incommoda, optime sic defectum unius suppleri per alterum, v. quae habet *Erasmus Adag. Chil. I. Cent. 2. p. 56.* Cum vero tanta nunc sit librorum copia, ut illa tantum non laboremus, ipsa sana suadet ratio, non promiscue aut omnes, quod impossibile, aut sine ulla cura, quicumque in manus nobis venerint, quod imprudens, esse legendos, sed selectum esse instituendum, ita ut noxii excludantur penitus, & optimi tantum adhibeantur, qua ratione, quomodo nosse bonos libros dimidia eruditionis pars dici possit, abunde patet. Sane *Guil. Budaeus* multum temporis perdidit, antequam melioris notae libros ab inutilibus discernere disceret, saepiusque in legendis nullius pretii auctoribus occupabatur, optimis, quos ignorabat, neglectis, uti refert *Lud. Regius in Vita Ejus.* Quod si vero sint, (ita ait *Autor obs. Hal. T. II. obs. 1. de intempestivo libris scribendi & disputandi pruritu, Dn. Gundlingius*) qui nullum librum tam malum esse existimant, qui non aliqua parte prodesset, iis ego venenatissima quaevis animalia ex eadem ratione enixissime commendarem, quae, ut ut plerumque perniciofa, nonnunquam tamen salubris medicinae loco pertinacissimis corporum morbis feliciter adhibentur, quo quidem modo nihil tam insanum erit, tam inconcinnum, tam ab omni ratione alienum, quod non defendi, excusari, imo etiam laudari quam optime possit. Imo inter ipsos bonos libros non sine discrimine, qui vis as-

obum ab
isogm

sumendi sunt, sed omnino est ratio habenda studiorum nostrorum, scopi nostri specialis, temporis, ingenii, ne, dum illis, qui nobis non adeo necessarii sunt aut utiles, legendis tempus impendimus, alios qui majorem cum fine nostro connexionem habent negligamus, atque ita male rebus nostris consulamus. Non enim in multa plurimorum librorum lectione omnia posita sunt: *non refert quam multos libros, sed quam bonos habeas. Lectio certa prodest, varia delectat: qui quo destinavit pervenire vult, unam sequatur viam, non per multas vagetur; non ire istud, sed errare est, inquit Seneca Ep. 45. cuius etiam aurea sunt verba Ep. 2. nihil aequae sanitatem impedit, quam remediorum crebra mutatio. Non venit vulnus ad cicatricem, in quo crebra medicamenta tentantur. Non convalescit planta, quae saepius transfertur. Nihil tam utile est, quod in transitu proficit. Distrahit animum librorum multitudo. Itaque cum legere non possis, quantum habueris, sat est habere quantum legas. Sed modo, inquis, hunc librum evolvere volo, modo illum; fastidientis stomachi est, multa degustare, quae ubi varia sunt & diversa, coinquinant, non alant. Probatos itaque semper lege, & si quando ad alios divertit libuerit, ad priores redi. Et cum multa percurreris, unum excerpe, quod illo die concoquas. Ceterum de hac librorum diversitate, variaque eos legendi ratione eleganter differit Baco Verulamius Serm. Fid. 48. Sunt libri, quos leviter tantum degustare convenit, sunt quos deglutire cursimque legere oportet; sunt denique, sed pauci admodum, quos ruminare & digerere par est. Hoc est: quidam libri per partes tantum inspicendi; alii per legendi quidem, sed non multum temporis in iisdem evolvendis consumendum; alii autem pauci diligenter evolvendi & adhibita diligentia singulari.*

de modo
legendi.

§. XVI. Circa modum legendorum librorum plurimi saluberrima proposuerunt consilia. Ita *Guilielmus Saldenus de libris*

bris varioque eorum usu & abusu, Thomas Bartholinus de libris legendis, Franciscus Sacchinus, Italus, e Soc. Jesu, de ratione libros cum profectu legendi scripserunt; quorum duos posteriores hoc ipso anno recusos esse novimus. Suadent observari primo omnium libri scopum, connexionem, rationem tractandi, & quae alia ad oeconomiam ejus generalem faciunt, quo Ephemerides eruditorum, acta & recensiones ejusmodi, quae magno numero hodie publicantur, spectare non immerito dicas. Unde Sacchinus l.c. C. 8. primam curam ponendam esse monet, ut initio cujusvis libri, argumentum totius operis percipiamus, quo singula spectent, quam sint ad rem, quam inter se cohaerentia, quam apte partita, quam disposita sapienter; plurimum ad rem hanc pertinere, auctoris aetatem vitamque praenosse, quo consilio opus scripserit, quo tempore; non praetereundas esse epistolas dedicatorias, praefationes, argumenta, lemmata, & quae sunt alia. Sed neque putandum est, solidam eruditionem omnem hac cognitione absolvi, neque nullam aliam lectionem librorum accedere debere. Sufficere potest ejusmodi notitia generalis in illis libris, qui non adeo ad scopum nostrum faciunt; in aliis autem, qui studia nostra propius attingunt, utiliter quidem praemittitur, sed non sufficit, verum subsequi debet accuratior cognitio lectione diligenti, attenta & constanti acquirenda. Huc spectant quae Stephanus Praetorius Tract. de form. studiis p. 31. monet, scilicet, non esse prius deserendam inchoatam alicujus libri lectionem, quam ad finem deducta, & integre percepta fuerit. Multi enim, pergunt, adeo delicate & fastidiose in legendis auctoribus versantur, ut cum aliquem privatim legendum in manus sumserint, tamen vix 2. aut 3. pagellis perlectis, mox eundem deponant, & alium librum legere incipiant, nec quicquam ad finem perducant. Haec fastidiosa legendi ratio, quantumvis magna assiduitate praestetur, ad veram & solidam erudi-

tionem comparandam prorsus inutilis est, quae verbis fere
iisdem monet *Chytraeus in Regulis Studiorum pag. 22.*
In succum igitur quasi & sanguinem vertendi sunt illi Libri, qui
in disciplinis ad scopum nostrum facientibus, habentur optimi,
ita ut in illis simus toti, eaque inde nobis comparemus erudien-
di animum subsidia, quae deinde in ulteriori Meditatione &
Exercitatione, imo in omni vita usui possunt esse & adjumento. Ita
v. g. cui scholae olim inservire animus est, in Lectione Autorum
Classicorum, quos vocant, praecipue occupabitur, ut inde
utriusque Linguae facultas ipsi enascatur atque copia; qui Ec-
clesiae studia sua dicavit, ad Scripturae Sacrae Lectionem, &
quae ad illam faciunt, omnia referet, ut, quo magis quid ad
eam intelligendam & explicandam aliis, pertinere videbit, eo
minus illud praetermittat. Hinc, quo lecta tenacius inhae-
reant menti, dataque occasione facilius rursus depromi & ex-
promi possint, *Studium excerpenti non esse omittendum sua-*
dent, qua tamen in re ita verendum, ne tempus, quod Me-
ditationi utilius impenditur, omne huic labori tribuatur; sed
sufficere potest, si in subsidium memoriae, vel loca tantum Au-
torum, ubi rari quid & elegantis legimus, annotemus, si libri
sint nostri, vel si alieni sint, & tales, quorum non semper habe-
ri potest copia, brevissimis optima nobisque maxime profutura
consignemus. *conf. Morb. Polyb. L. III. c. 1. seqq. Sacch. l. c.*

Meditatio

§. XVII. Enimvero nunquam vel Auditioni vel Lectio-
ni tantum tribuendum est, nunquam Praeceptoribus vel vivis
vel mortuis ita adhaerendum, ut propriam *Meditationem* omitta-
mus, cujus necessitatem & utilitatem Viri prudentissimi satis
jam superque commonstrarunt. v. *Rich. Obst. An. c. 9. Μελέτη*
τὸ πᾶν dixit olim *Periander*, & *Seneca Ep. 84. Apes* inquit, *de-*
bemus imitari & quaecunque ex diversa lectione congeimus,
separare; melius enim distincta servantur; deinde adhibita in-
genii

genii nostri cura & facultate in unum saporem varia illa libamenta confundere: ut etiam si apparuerit unde sumtum sit, aliud tamen esse, quam unde sumtum est, appareat: quod in corpore nostro videmus sine ulla opera nostra facere naturam. Alimenta, quae accepimus, quamdiu in sua qualitate perdurant & solida innatant stomacho, onera sunt; at cum ex eo, quod erant, mutata sunt, tum demum in vires & in sanguinem transeunt: Idem in his, quibus aluntur ingenia, praestemus, ut quaecunque hausimus, non patiamur integra esse, ne aliena sint. Concoquamus illa; alioquin in memoriam ibunt, non in ingenium. Quae verba, etsi prolixa, quia tamen negotium nostrum elegantissime proponunt, non esse omittenda putavimus. Non immerito *Baco de Verulam. serm. fid. 48.* tempus nimium in lectione terere, speciosam socordiam vocat, & vult, ut libros legamus, non animo omnia pro concessis accipiendi, aut in verba auctoris jurandi, sed ut addiscamus, ponderemus, & iudicio nostro aliquatenus utamur. Suadet igitur prudentia litteraria, ut ea, quae audivimus & legimus, non coeca obedientia, pro autoritate quasi dicta, recipiamus, sed iudicio nostro subjiciamus, ut de veritate vel falsitate alicujus hypotheseos & rationis convicti, ex rebus ipsis sapere discamus. Quo in negotio comparandae sunt sententiae, committendae rationes, ut, quarum majus sit pondus, quae dubiis solvendis sufficiant vel minus, pateat; reducendae ad principia sunt conclusiones, ut de connexione doctrinarum certifiamus; in probationibus considerandi nervi, in confutationibus ratio habenda status controversiae, rationum pro & contra, omniaque ad normam illius principii cognoscendi, quo utimur, sive ratio illud sit sive revelatio, sunt exigenda. Quae dubia adhuc videntur nobis & incerta, nec satis evidentia (modo certitudo ac evidentia in illis haberi possit) de illis vel consulendi rursus viri doctiores & prudentiores, vel seponenda illa erunt in aliud
 tempus

tempus, quo forte maiores in studiis nostris fecimus progressus, illudque nobis clarum & manifestum appareat, quod antea obscurum erat & plane absconditum. Imo juvabit etiam, Meditationem non semper suscipi ab uno solitarie, sed quandoque in subsidium adhiberi amicum, commilitonem, vel doctiorem, vel aequalium profectuum, quo veritatis investigatio iunctis viribus suscipiatur: hoc enim inde nobis emanabit commodum, quod, cum oculi plus videant quam oculus, non tantum cognitionis nostrae capiamus incrementa, sed excitemur etiam & alacriores reddamur. Quod si enim consentiamus in iudicio nostro de sententia aliqua sive ratione, confirmabitur animus: si dissensus appareat, collatio eo melius poterit institui, modo ne inane studium contradicendi, ardor sine necessitate disputandi, mos perversus sua placita pertinaciter defendendi, institutum hoc privent utilitate sua certe alias expectanda.

Exercitatio.

§. XLIX. Ceterum haec ipsa Meditatio semper junctam habebit & progignet quasi, *Usum et Exercitationem*. Quemadmodum enim ad Eruditionem convenientem *Memoriae, Ingenii, & Iudicii* perfectionem requiri novimus, imo ipsam eruditionem nihil aliud esse, quam facultatum dictarum & mentis nostrae expolitionem per artes, disciplinas, et illorum, quae ad usum faciunt, solidam cognitionem: ita patet etiam, quo magis per frequentem exercitationem, Memoriam ad res recipiendas, custodiendas & reddendas, Ingenium ad vim percipiendi alios, & percepta rursus cum aliis promte, perspicue, ornate communicandi, Iudicium denique ad dignoscendum verum a falso, a probabili certum, componimus, eo magis eo ipso promoveri quoque nostram eruditionem. Et quidem quod ad *Memoriam* attinet, quae Thesaurus & custos est totius Eruditionis, cum unusquisque tantum scire putetur, quantum memoria tenet, & ubi res atque usus postulat, proponere valet, varia quidem illam perficiendi

qua Memoriam

ficiendi recensentur subsidia non ad artificialia tantum sed & naturalia pertinentia; nullum tamen forsitan certius ipsa Exercitatione reperietur, praesertim si quoad Realia *Ordo* & connexio rerum, quoad Facta autem & Verba, *Repetitio* frequens accedat. *Etsi enim natura, ut in ceteris rebus, ita hac quoque in parte valet plurimum: & iuvare memoriam diaeta, & bona Valetudine, & loco silentii, & tempore matutino, & modo certo addiscendi & notis illustribus &c. constat: tamen praecipue excoli augeri & firmari memoria potest labore & diligentia, & usu assiduo ediscendi & repetendi, ac reddendi ea, quae ipsi, velut depositum, commendata sunt,* ita Dav. Chytraeus in *Regulis studiorum* p. 23. Quemadmodum ergo certum aliquod tempus huic Memoriae exercitio tribuendum est; ita cura quoque danda, ut talia illi imprimantur, quae postea in vita, & praxi studiorum nostrorum, utilitatem nobis certam promittere possunt. Ita v. g. Theologo et Pastori futuro non sine ratione suadent prudentiores, ut praecipua Scripturae Sacrae loca ad articulum aliquem credendi, vel caput morum, vel fundamentum solatii pertinentia, lingua praecipue vernacula, memoriae tradat, quorum tam in Homiliis habendis, quam in reliquo munere Pastoralis exercitio usus certissimus est & frequentissimus.

§. XIX. Eadem ratione excolendum est *Ingenium*, & quod inde communiter deducunt, studium promte se explicandi vel ore vel scripto. Danda scilicet est opera, ut quae meditati sumus, aliis etiam communicare possimus; exercenda igitur Lingua, formandus est Stilus; parum consiliis omnibus efficitur, nisi ad rem ipsam accedamus & fabricando fabri fieri discamus. Exercitatio omne in stilo punctum feret; nisi manum admoveamus operi, nunquam vel ad mediocre loquendi genus perveniemus; verba sunt *Morhofii Polyb.* L. II. c. 13. ubi plurima consilia profert & expendit; quam in rem conferri quoque merentur,

Ingenium.

D

tur,

tur, quae *Chytraeus l. c. ex Fabii Quintiliani Inst. Orat. L. X. c. 3. 4. 5. & Plinii Ep. 7. ad Fuscum* monet, Et quidem, quemadmodum Romani Graecas excolebant litteras, ita tamen, ut sermonis patrii non plane nullam rationem haberent: sic nos multum quidem studii & laboris impendere decet linguae latinae, quae nunc Eruditorum lingua communis et quasi vernacula habetur, non tamen penitus omittenda est *cultura linguae germanicae*, praesertim cum plerisque nostrum occasio olim dabitur, et necessitas imponetur, si non saepius, toties tamen, sermone patrio loquendi aut scribendi, quoties lingua latina. Quod igitur *Cicero* sui ipsius exemplum proponens, filio suo suadet, dum *L. l. c. 1. de Off. ut ipse*, inquit, *ad meam utilitatem semper cum Graecis Latina conjunxi, neque id in Philosophia solum, sed etiam in dicendi exercitatione feci: idem Tibi censeo faciendum ut pars in utriusque orationis facultate*, id etiam licebit statui & conditioni temporum nostrorum accommodare, ita ut exercitium loquendi & scribendi ad Latinum pariter & vernaculum sermonem extendamus, idque curemus quam maxime, per frequens et haud omittendum exercitium, ut animi nostri sensa, aut quae ab aliis etiam percepimus, promte, perspicue, & quandoque etiam ornate proferre possimus.

de iudicium.

§. XX. Tandem etiam *Judicium* excolendum nobis est, idque rursus commodissime per usum & exercitationem: Quemadmodum enim omnis habitus per actus crebrius repetitos acquiritur, ita etiam habitus verum a falso, certum ab incerto ac probabili discernendi augetur, si omnia, quaecunque legimus vel audivimus, iudicio nostro discretivo, omnia probanti, sed optima tantum retinenti, subjiciamus, neque *spongiae* similes omnia promiscue attrahamus, neque *clepsydrae* in modum, amittamus rursus omnia quae accepimus, neque *saccos* referamus, qui faeces post expressum vinum servant, sed *cribrum*, quod excu-

so

so furfure similam retinet, quae quatuor genera discentium *Judaei* alias nobis sistunt. Observanda hic sunt ea omnia, quae supra de Meditatione dicebantur, quippe in qua iudicium suum praecipue munus exercet, item praecepta quae formari & proponi in arte rationis nobis solent; Imprimis vero commendari hic solent *Exercitia Disputatoria* sive collationes amicae de duabus sententiis contrariis ingenii exercendi ac veritatis confirmandae causa institutae. Et sane, si omnia legitime, & ita, ut finis, quem intendimus, obtineri possit, procedant, vix quicquam est, quod vires ingenii ac iudicii expoliat magis atque perficiat. Acquirimus ibi celeritatem in percipiendis, repetendis & explicandis aliorum sententiis, discimus mentem nostram manifestare aliis, formamus iudicia de rebus optimis, acuimus iudicium, ut verum a falso possit separare, & in illo confirmatum, dubia omnia contra allata, ex rei ipsius consideratione rationumque connexionem, refellat; ut taceam quae ad praesentiam animi, affectuum moderamen, aliaque in conversatione utilia facere possunt: modo operam demus, ne ipsi sine nostro utilissimo excidamus, & loco iudicii, praeiudicia, praesertim praecipitaniae & pertinaciae, augeamus atque promoveamus.

§. XXI. His omnibus addere liceat tanquam medium aliquod augendae eruditionis conversationem eruditam. Non sine ratione iudicat *Morhofius Polyb. L. I. c. 15.* in re litteraria post meditationem nostram omne punctum ferre conversationem, quae & ipsa novis meditationibus viam sternat. Pro mente excolenda laboramus, pergit; illi ut bene sit, etsi divina gratia & nobis ipsis praecipue indigeamus, tamen aliorum etiam opera requiritur, ut sapere recte possimus, quemadmodum ad corpus hoc sustentandum ope & auxilio aliorum carere non possumus. Integrum illud caput, quod *Homiletices eruditae delineationem* continet, optima praecepta subministrat, quae ad prudentiam lit-

Conversatio

terariam omnino faciunt ; illa tamen exscribere , cum liber in omnium sit manibus , nec libet nec licet.

confid. 4.
Impedimen-
ta, ratione
Intellectus.

§. XXII. Sed satis de mediis praecipuis ad acquirendam eruditionem facientibus. *Impedimenta* quaedam adhuc sunt considerata , una cum ratione removendi illa , ut ita scopulos hos noxios devitare possimus. Primo loco *confusio* nominanda est , quae nisi absit in tractatione studiorum , semper movebimus , nihil promovebimus. Quemadmodum qui urbem aliquam adiurus est , nisi viae inhaereat , sed semper , mox huc mox illuc , discurrat , id tantum obtinebit , ut fatigatus licet , scopum itineris tamen nunquam attingat , sed semper longissime remotus ab illo maneat : ita qui studia confuse tractat , in fine videbit se per ambages prolixas & errores infinitos a scopo suo longius recessisse. *Ordine* igitur & *methodo justa* a facilioribus incipiamus , & per ea ad difficiliora viam nobis muniamus ; Ita connexio semper ob oculos nobis versabitur , & illa , quae alias obscura & insuperabilia nobis fuissent , erunt facilia & manifesta , praecipue si attentio quoque & studium haud interruptum accedant. Hinc tot viros eruditissimos de methodo studiorum fuisse sollicitos , & consilia in singulis disciplinis addiscendis proficua suppeditasse videmus , ita ut integrae *Collections* talium scriptorum prostant , quales recenset Morh. Polyh. L. II. c. 7. quibus *Th. Crenii Collectio* addi meretur.

Voluntatis.

§. XXIII. Alii , quia de emendanda voluntate nunquam fere cogitant , inde in studiis proficiendi impedimenta sentiunt quam maxima. Ubi enim Philantia prava mentem occupat , praeclare admodum & magnifice de nobis ipsis sentimus , & hac ratione obstaculum maximum nobismet ipsis ponimus : siquidem multi ad eruditionem venissent , nisi se eo jam pervenisse putassent inquit Seneca c. 7. de Tranq. animi. Quos propensio ad voluptates opprimit , illi otio marcescent , litterarum studia in minimis

misponent, aut, ceu canis e Nilo, fugiendo tantum delibabunt; nunquam in arcana litterarum, intimosque recessus penetrabunt, sed per compendia, via brevissima & commodissima ad eruditionem, non solidam, sed superficialiariam contendent. Praejudiciorum fontem & affectuum impetum in voluntate corrupta rectissime quaeri inter omnes constat; neque etiam, quam parum, qui praejudiciis laborant, nec affectibus suis legem limitesque ponere didicerunt, ad veritatem investigandam sint idonei, quoniam fugit, unde certissime colligitur, eos quoque ad eruditionem solidam consequendam ineptos esse, cum haec in vera rerum utilium cognitione consistat. Colamus igitur intellectum, sed ita, ut voluntatis emendationem non omittamus; pervenimus hac ratione ad cognitionem nostrum, videbimus, quanta rerum cognoscendarum sit multitudo & difficultas, quanta Ingenii humani imbecillitas & imperfectio, quanta vitae nostrae brevitatis, & quam graves habeamus rationes, omnes cogitationes, omnia consilia ad litterarum studia conferre, pulsaque ignavia foedissima per indefessum studium ad metam nostram contendere, ut inde Summi Numinis, (cui temporis collocati donorumque concessorum reddenda est ratio) gloriam, generisque humani utilitatem promovere possimus. Pertinet huc quoque defectus amoris erga studia, qui apud multos conspicitur, loco desiderii quo flagrare debebant. Character hujus est aegre tractatione studiorum avelli, & recreato animo, cum laetitia redire ad litteras; illius vero, per levissimas illecebras abduci a litteris, & cum fastidio ad easdem redire. Quam necessarium autem sit incendere amorem, conservare, augere, quamque parum, coacta hac & invite suscepta studiorum tractatione, proficiamus nemo non videt.

§. XXIV. Neque vero ex parte *Corporis* desunt obstacula *Corporis.* cursum studiorum, tum quoad acquisitionem, tum quoad usum

D 3

eru.

eruditionis, impeditia, postquam nihil fere frequentius occurrit, quam litterati valetudinarii, neque desint, qui studiorum intemperie, & lucubrationibus assiduis morbos sibi attraxerunt, imo mortem ipsam accelerarunt. Quemadmodum vero hujus impedimenti remotio medicis proprie relinquenda est: ita prudentia litteraria tantum jubet, ut modum adhibeamus. *Illi enim diutius & felicius student, qui valent diutius: valent autem illi diutius, qui studiis moderantur sapientius; qui autem effraenata sciendi cupiditate procurrunt immoderate, auferrique se sinunt, in ipso lumine corrumpunt*, uti loquitur Fichetus in arcana studiorum methodo. Tum etiam vetat, ne diaetae salubrioris neglectu, aut forte etiam intemperanti vivendi ratione ipsi haec impedimenta augeamus atque promoveamus ulterius.

Fortunarum §. XXV. Tandem etiam ratione *Fortunarum* dantur impedimenta proficiendi in studiis, idque duplici ratione. Neque enim facile emergunt, quorum virtutibus obstat res angusta domi: retardat inopia cursum ingeniorum, avocatur animum a studiis, ad media, quibus vita sustentari possit, neque concedit illa sibi comparare subsidia, quae tamen ad eruditionem comparandam habentur necessaria. Ex adverso *multis ad philosophandum obstiteret divitiae*, ut ait Seneca epist. 17. corrumpunt opes sapientissime animum, ad luxum, ignaviam, voluptates, litterarum impedimenta certissima, occasionem praebent. Prudentia litteraria vero monet, tum divites, ut opibus, quas benignior ipsis concessit fortuna, non ad corrumpendam mentem abutantur, sed utantur ad animum eo felicius excolendum: tum pauperes jubet, non despondere animum, sed benignissimi Numinis sapientissimae directioni confidere, Mecaenatum favorem & munificentiam implorare, majori studio rem aggredi, & semper sibi proponere tot tantorum virorum exempla, qui dura pressi paupertate ad summum tamen eruditionis fastigium per-

pervenerunt, ad quod forte non adscendissent, nisi paupertate, [quam Isidorus *πάσης ἐπιστήμης τε καὶ τέχνης μήτέρα* *omnis scientiae & artis matrem* vocat,] coacti quasi & concitati fuissent.

§. XXVI. Jam igitur, ubi quis ad aliquem eruditionis gradum, augendum tamen semper ulteriusque perficiendum pervenit, non ut subsistat permittit Prudentia Litteraria, sed ut ea etiam, quae circa *usum Eruditionis* praescribit, monita, sedulo observet, quam maxime requirit. Equidem ipsa Justitia haec praecepta, saltem aliqua ex iis, jam efflagitat, ut adeo qui illa negligit, non imprudenter tantum, sed & injuste agere censendus sit, sed tamen considerandi modus diversus est, neque implicat, eadem nobis praecipitur ut justa, & suaderi ut utilia: subordinanda haec sunt, non opponenda, cum certissimum sit, non esse veram utilitatem, sed apparentem tantum, quae non ipsa etiam Justitia nitatur. Ratio autem, cur Prudentia Litteraria ulterius tendat, & ad Eruditionis acquisitae usum respici jubeat, illa est, quod haec cognitio, licet certissima & solidissima sit, non tamen est finis hominis, ultimusque scopus, quo obtento placide is acquiescat. Non enim suffragari possumus sententiae Peripateticorum, qui agnoscentes quidem, illum optimum perfectissimumque demum esse, qui proxime ad Deum accedat, negarunt tamen, & DEO competere *πραξις* & Hominem in his DEO similem fieri debere, sed putarunt, convenire potius DEO assiduam, & nulla intermissione interruptam veritatis contemplationem, hincq; perfectionem hominis & *ὁμοίωσιν* cum Deo consistere principaliter in cognitione & scientia. Profligavit hunc errorem B. Roettgenbeccius in *Orat. Inaug. de Philosoph. pract. dignitate*. Cum igitur felicitatem summam hominis non consistere in cognitione & eruditione, & ratio doceat, & tot infelicium Litteratorum exempla confirmant, patet sane, prudentia etiam in usu Eruditionis

Prud. Litt.
versatur II.
circa Eruditionis
usum.

tionis opus esse, quo illa ad felicitatem, & veram Hominis utilitatem dirigatur. Res omnis autem redit ad subordinationem Finium, ut scilicet eruditione acquisita sic utamur, ne felicitate majori aut summa inde privemur, sed ut potius illius ope ad hanc facilius pervenire eademque felicius frui possimus. Ita *Litterati* erimus non *infelices*, sed *felices*, immo *felicissimi*, qua de re *B. Theophilus Spizelius* Theologus Augustanus praeclare meritis eleganter est commentatus.

Removentur
fines spurii.

§. XXVII. Removendi ante omnia erunt *Scopi Finesque spurii*, qui quamvis prima fronte jucundi, splendidi, utiles videantur, tales tamen revera non sunt, quia a felicitate summa, Unionem cum DEO, nos abducunt, eoque ipso in profundissimum Infelicitatis abyssum praecipitant, Remotis his ostendendus erit scopus verus & legitimus, ad quem eruditio omnis dirigenda, ita ut simul etiam modus varius, ratioque diversa hunc finem obtinendi commonstretur. Egregius in hanc rem habetur locus, qui praecipuos eruditionis fines, tum spurios, tum veros enumerat, in *Bernh. Serm. XXXVI. in Cant. Sunt namque*, inquit, *qui scire volunt, eo tantum fine, ut sciant, & turpis curiositas est. Et sunt, qui scire volunt, ut sciantur ipsi, & turpis vanitas est; qui profecto non evadunt subsannantem saytricum, & ei qui ejusmodi est, decantantem, scire tuum nihil est, nisi te scire hoc sciat alter. Et sunt item qui scire volunt, ut scientiam suam vendant, verbi causa pro pecunia, pro honoribus, & turpis quaestus est. Sed sunt quoque qui scire volunt ut aedificent alios & charitas est. Et item qui scire volunt ut se aedificent, & charitas est. Horum omnium soli ultimi duo non inveniuntur, in abusione scientiae, quippe qui ad hoc volunt intelligere, aut benefaciant. Nempe enim Philautiae inordinatae & malae, pessimae sunt Filiae:*

Ambitio

*Ambitiosus honos, & opes, & foeda Voluptas:
Haec tria pro Trino Numine mundus habet.*

Quemadmodum igitur homines a vero virtutis scopo aberrantes sua omnia ad se ipsos pravamque Philautiam referunt, ita & Eruditio iisdem instrumentum est promovendae vel voluptatis, vel ambitionis, vel avaritiae. Non nego equidem hanc esse eruditionis praestantiam, ut summa illam existimatio magnique honores saepius suo merito comitentur; certissimum quoque est, jucundissima affici delectatione, qui praestantissimarum rerum cognitione animum imbuit, cujus sensu carere, neque si velis, possis, neque si possis, debeas; quemadmodum & illud lubens concedo, sequi eruditionem quandoque opes atque divitias, imo pro statu rerum nostrarum eruditionem medium esse se suosque sustentandi: at vero haec eruditionis adjuncta in tantum collocari debere fastigium, ut illis tanquam fini & scopo nobiliori, aut plane primario ipsam eruditionem subordinare debeamus, hoc est quod negandum ego arbitror. Itaque qui in eruditionis usu illud tantum, saltem primario, respiciunt, ut rem suam familiarem augeant atque promoveant, quique in rebus cognoscendis & addiscendis nihil magis explorant, quam, an sint de pane lucrando, illi nobilitatem litterarum non satis perpendere, dignitatemque artium liberalium ad sordidam rerum vilissimarum conditionem detrudere merito censentur. Qui studiis operam navant, ut volitent per ora virum, nominisque sui celebritatem & immortale decus sibi comparent, nubes & inania prensant, neque cogitant, aliorum laudes, honores, & opiniones, saepe perversas, ad veram & perennem felicitatem nihil conferre. Qui denique sola curiositate & delectatione ad eruditionis cupiditatem trahuntur, illi voluptatem sectantur, & oblectationem mentis, quae, nisi accedat usus & applicatio ad commoda aliorum, illicita est, & in splendidam degenerat ignaviam, quae ne-

E

mini

mini prodest. Omnes imprudentissime mihi agere videntur, dum eruditionem nobilissimam rebus longe ignobilioribus subiciunt, & omisso scopo vero, ad quem dirigenda erat, & a quo veram utilitatem expectare poterant, ad alios atque tales deflectunt, qui plus illis adferunt detrimenti quam commodi. Tantum enim abest ut eruditio illis sit medium, quo felicitatem suam promoveant, ut potius instrumentum sit, quo sibi met ipsis parant exitium.

*Genuinus
Scopus est
Gloria Dei.*

§. XXIIII. Verus igitur & *genuinus Scopus*, ad quem dirigi debet unice omnis eruditio, est GLORIA DEI, quam, quantum in nobis est, in omnibus nostris actionibus ut quaeramus, & promoveamus, obstricti sumus & obligati. Cui fini ultimo atque primario subordinatur alter intermedius atque secundarius *Societatis Humanae Conservatio*. Cum enim societas humana ipsa sit propter DEI gloriam, patet, nihil facere ad illius conservacionem, quod non simul etiam ad DEI gloriam tendat, illumque qui generis humani utilitatem vere promovet, gloriam ipsius DEI indirecte & remote promovere. Dicimur autem *Dei gloriam quaerere atque promovere*, quando perfectiones ejus infinitas, & attributa admiranda magis magisque cognoscimus, scrutamur, meditamur, prout par est de illis sentimus, summumque hoc Numen non verbis tantum, sed vita etiam nostra & operibus, ut perfectissimum colimus & veneramur; immo etiam, quando alios, ut idem nobiscum faciant, permovemus, perfectiones divinas ab illorum contumeliis & corruptelis vindicamus, ipsosque nos ad hoc officium ulterius praestandum, praeparamus & conservamus. Ita *directe & proxime* Gloriam DEI per eruditionem suam quaerit ac promovet, qui ex rationis vel revelationis lumine DEI potentiam, justitiam, sapientiam, bonitatem ceterasque perfectiones agnoscit & vindicat; quod quidem in *Theologia*

quae promovetur vel directe.

logia

logia Revelata divinarum litterarum luce collustrata optime & perfectissime fieri potest, ubi DEUS infinitam suam bonitatem atque sapientiam in redemptionis negotio, salutisque ordine abunde commonstrat. Idem tamen Summi Numinis decus ex ipsa sana ratione satis superque perspici potest. *Enarrant enim coeli gloriam Creatoris sui*, teste Regio Vate, Ps. XIX. 1. & Paulus *gentes inexcusabiles* enunciat, quod, cum *invisibilia DEI, aeterna videlicet ejus tum potentia tum divinitas, ex iis, quae fecit, mente perpensa pervideantur, ipsi tamen, Deum, quem noverint, non ut Deum glorificaverint, atque adeo, cum Sapientes se putarent, stulti facti fuerint.* Rom. I. 20. &c. Efficacissima maximeque illustria argumenta ex *Philosophia naturali* desumi, quibus & existentia & infinita perfectio Creatoris probetur, illustretur, & contra insanas atheorum objectiones vindicetur, tot praeclarissima virorum celebrium *Bentleii, Sturmii, Schmidii, Hambergeri* aliorumque monumenta testantur. Sic & gravissime Sapientia DEI, benignitas atque justitia ex *historiae* tum sacrae tum profanae studio elucescit: Haec enim *Theatrum est Providentiae Divinae*, in quo dictae antea perfectiones divinae vivis quasi exemplis repraesentantur, quando Ecclesiae & Reipublicae sapientissimam gubernationem, certasque periodos, poenas improborum justissimas, & benignissimam piorum protectionem perpendimus. Quae omnia eo majorem habebunt efficaciam, quo magis historia est pragmatica, non nuda tantum rerum gestarum recensione contenta, sed ad connexionem & considerationem circumstantiarum, ope Philosophiae moralis & civilis prudenter institutam solícite attendens. Taceo partes eruditionis alias, quibus qua ratione ad DEI gloriam directe uti prudenter possimus, ex dictis quivis facile colliget.

§. XXIX. Sed nec modus *indirectus & remotus* quaerendi ^{vel indire-} _{cte.} atque

dum nosmet- ipsos emendamus. atque promovendi DEI gloriam omittendus esse videtur, qui ad *Societatis humanae conservationem* & utilitatem potissimum respicit, ut per illam & in illa Deus quoque glorificetur. Rationem scilicet habet, is, qui eruditione prudenter utitur, tum *sui*, tum *aliorum*. Et ante omnia quidem a vitiis, quae alias communia eruditis esse dicuntur, sollicitè *sibi cavet*, quinimo ex ipsa eruditione efficacia contra illa depromere pharmaca satagit, ut omnibus inde constet, vitia illa non eruditioni, rei optimae & praeclarae, sed malitiae hominum, rebus etiam utilissimis pessime abutentium, adscribenda esse. Edidit pientissimus Ictus *Ahasverus Fritschius* Dissertationem de *vitiis eruditorum*, in qua separatim agit de fastu & arrogantia, de aucupio famae & ambitione clarificandi nominis, de Luxuria in titulis, de carpendi libidine, de cavillandi libidine & acerbitate in refutandis aliorum dictis & scriptis, de scribendi pruritu, de plagio litterario, de latrocinio in scriptores publicos, de lucri & quaestus cupiditate, de inani curiositate, de studio novitatis, de neglectione studii divinae sapientiae, de invidentia & aemulatione, de dissimulatione nominis, de segni otio litterario. Quemadmodum vero prudens Litteratus ex ipsa eruditione sacra & profana se contra haec vitia munit, ita Scientia sua praecipue utitur ad *sui cognitionem*. Quo ipso quin etiam DEI gloriam quaerat, dubitari non potest. Quo enim pluribus imperfectionibus & infirmitatibus se obnoxium sentit, eo minus sibi tribuet, eo magis omnia bona DEO in solidum adscribet. Eadem sui cognitio ad utilitatem tum propriam tum alienam quam maxime facit. Etenim qui ratione corporis se ipsum cognoverit, sanitatem melius conservare, Deoque & aliis diutius inservire poterit. Qui mentem suam, ope sanioris Philosophiae rationalis & moralis, penitus inspexerit, atque de emendatione tum intellectus, tum voluntatis suae sollicitus fuerit,

rit,

rit, non suam tantum sed aliorum etiam utilitatem, imo ipsius DEI gloriam melius certiusque promovere poterit, quam is qui haec negligit. Bene enim *Hugo de claustro animae: Multimulta sciunt, & seipfos nesciunt, cum summa Philosophia sit cognitio sui.*

§. XXX. Tandem ubi quis artibus atque scientiis animum suum ipse probe excoluit, ut illa omnia ad usum & com-^{dum aliis}moda aliorum quoque conferat non *Justitia* tantum praecipit, sed *Prudentia* quoque suadet. Prius eruditione, aut facto tali, quod eruditionem supponit, aliis inservire velle, quam solida optimarum rerum cognitione quis mentem imbuerit, temerarium esset, atque adeo non modo *Justitiae* sed & *Prudentiae* repugnaret. Neque enim, qui consilii doctrinaeque ipse inops est, aliis quid impertire, neque qui viam ipse ignorat, reliquis eam monstrare poterit. Sed vero, cum quis animum ad honesta & utilia erudit ipse, tum demum parta hac eruditione eo prudentius utetur, quo magis aliorum commoda promovere laboraverit. Nec est ut quis splendido otii litterarii nomine se decipi patiatur, et in tali vitae statu consenescere optet. Cavendum enim quam maxime est, ne hoc otium in ignaviam degeneret, & laborandum potius, ut & in otio illa agamus & meditemur, quae nobis & aliis prodesse possunt. Nimirum varia ratione modoque diverso aliorum commoda per eruditionem partam promovere possumus. Vel enim ipsa praxi & applicatione scientiae nostrae utilia nos exhibemus generi humano membra, vel aliorum ingenia rerum optimarum cognitione imbuimus. Hoc *Eruditionis docentis* nomine insignire, si velis, possis, quemadmodum illud tum *eruditionem utentem* vocare liceret. Ultraque in aliorum usum ^{in Praxi} prudentissime confertur, cum non nobis solis nati simus, sed ut in societatem coacti nobis invicem inserviamus, & per alios etiam Creatoris gloriam promoveamus. Quis enim neget, illos,

qui aliorum hominum animas ad felicitatem aeternam praeparare atque perducere, aut qui corpora aliorum depulsis morbis in sanitatis statu conservare, vel denique qui vitam fortunisque reliquorum hominum ab insultibus pessimi cujusvis defendere per omnem vitam laborant, quis neget, inquam, hos eruditione sua uti ad societatis humanae conservationem & usum, imo tales, si intentione directa huc quoque tendant, DEI gloriam promovere? Quo ipso, quin & scientia sua prudenter utantur, propriamque utilitatem veram & constantem obtineant, dubitari nulla ratione potest; praesertim si speciales quoque regulas *prudentialis, politicae & medicae*, quisque in suo statu & vitae genere observet.

docendo, idque vel viva voce,

§. XXXI. Eadem ratione *docens* quoque *eruditio* ad aliorum commoda, indeque ad gloriam DEI prudentissime tendit, idque rursus duplici ratione. Vel enim *viva voce* & institutione aliorum ingenia formamus, vel *scriptis* plures erudire contendimus. Uterque tamen modus, siquidem sperata utilitas votis nostris respondere debeat, singularibus *Prudentiae specialis, Didacticae*, tum *viva voce* docentium, tum scribentium, regulis dirigendus est. Quas omnes proponere, cum ab instituto nostro nimis sit alienum, juvabit nonnulla tantum ad generalem prudentiae litterariae Ideam magis facientia brevissimis addere. Et quod ad illos quidem attinet, qui *viva voce* alios instruunt, quin eosdem maximo sibi beneficio obstringant prorsus dubitari nequit, modo rerum utilissimarum scientiam aliis communicare & *possint & velint*, quorum prius magis ad Intellectus, posterius ad voluntatis virtutes pertinet. *Poterunt* autem, ut alia huc spectantia taceam, si ipsi prius solida illius scientiae, quam tradituri sunt, principia hauserint, hoc enim nisi sit, coecus coecum ducet. Equidem in communi proverbio dicitur: *Docendo discimus*: & viri eruditi, aliis ad solidam eruditionem viam monstraturi, docendi exercitium inter media con-

nu-

numerare solent. Ita *Alex. Fichetus* in arcana studiorum metho-
 do: "ad comparandam, inquit, solidam doctrinam via tri-
 "tissima certissimaque est docere; Signum enim scientis est
 "posse docere, imo & gradus ad scientiam firmissimus. Et J.
 Fortius Ringelbergius de ratione studiorum ita loquitur: Si-
 "mul atque in litterarum iudicio promoveris non nihil, enitere
 "ut per totum diem, si fieri possit, doceas; ea doce, quae no-
 "veris, si non omnia nosti. Sedulo curandum, ut vel prece,
 "vel pretio, habeas unum, cui ea, quae velis, possis recita-
 "re. Si pro horis singulis exiguam pecuniam dederis auditori,
 "atque hoc modo 4. aut 5. aureos expenderis, tantum com-
 "peries te profecisse, tum in litteris, tum in forma docendi, ut
 "vel palam ea audeas profiteri. Enimvero haec omnia suppo-
 nunt principiorum cognitionem, eamque non superficia-
 riam, sed solidam ipsarumque rerum consideratione nixam. Haec
 si adfuerit, docendo non tantum suam quis scientiam augebit &
 firmatam magis atque roboratam reddet, sed &, quo nos jam
 maxime spectamus, aliorum mentibus eruditionem solidam in-
 stillare poterit. Vt autem *velit*, cum primis etiam necesse est,
 hincque ut a docendo omnis absit invidia, adsit contra sinceritas
 & fides, prudentia omnino suadere videtur. Fortius ap. Morh.
 Polyh. p. 407. inquit: Si litteratus me invisat, non occupa-
 "tabo ea, quae assidua peperit consuetudo; verum ultro ipsi pro-
 "dam tradamque alteri ferrum, quo me superare possit, si velit.
 "Sic enim aliis indicando saepe studii modum ipse meliorem sem-
 "per inveniam, quem exercitatio illa suggeret docenti. Quod For-
 "tius consilium, ita pergit Morhofius, non erga omnes aeq; laudan-
 "dum, dissimulanda enim aliqua erga illos esse, qui ingenuitate
 "nostra abuti volent, ipsae communis prudentiae regulae di-
 "stabit. Haec Morhofii limitatio, si ullum habere potest lo-
 cum, obtinebit in *conversatione*, (nam & in hac aliis eruditione

no-

nostra prodesse nos posse in transitu hic quasi monemus) & quidem praecipue erga tales, de quibus suspicio, non levis, sed probe fundata est, eos ingenuitate nostra esse abufuros, ad quem casum ipse quoque restringit. In institutione vero, ubi quis nostrae se credidit fidei, dissimulare velle, ea, quae ad proficiendum maxime faciunt, non prudentiae hoc esset, sed livoris atque invidiae. Praeclare vero monet Basilus *docendum esse sine invidia, discendum sine verecundia.*

vel scriptis.
ubi quaestio:
An scriben-
dum?

§. XXXII. Illi denique, qui *scriptis* alios erudiunt, quomodo se juxta prudentiae praecepta gerant, paucis dispiciendum est. Oritur vero quasi in limine statim necessaria quaestio: *an prudenter omnino is agat, qui nostris hisce temporibus ingenii monumenta in publicum emittit?* praecipue cum tanta sit Librorum copia, ut orbis eruditus, illa ceu immani quadam mole laboret. Notae sunt querelae, quas aliquo hinc tempore fuderunt multi de nimia scriptorum multitudine, & vota, quae conceperunt de coercendo scribendi pruritu. Non tantum *Fritschius* in citata iam *Diss. de Peccatis eruditorum*, s. VII. *Pruriturum scribendi* inter illa refert, & ex *Didaco Saavedra*, in *Idea boni principis symb.* 21. *Frid. Prenningero* in *Praef. Tom. 3. Cons. Martini Vranii*, *Nicolao Selneccero* in *praef. ad Explic. Psal.* G. J. *Vossio*, de *cognit. sui* *Dyckio* de *notitia sui*, gravissime de eodem conqueritur: sed & *Autor obs.* 1. *Hal. T. II.* intempestivum libros scribendi & disputandi pruriturum acriter & false perstringit. Immo *Lud. Petr. Giovanni*, sive *Joh. Petrus Ludevig* *ICtus Halensis* eo usque progressus est, ut in *Germania Principe*, cujus his ipsis nundinis editio nova prodiit, & quidem in *Bibliotheca scriptorum* illi praemissa, vota conciperet *pro incendiis librorum*. Ita enim, postquam p. 76. asseruisset, probari sibi *Paradoxa: Librarias tabernas pestem esse rei litterariae; & Typographicas officinas tot involucris artes condidisse, ut multum temporis abeat evolven-*
do,

do, post multas querelas inquit p. 70, *utinam ergo, quam in-
humanus etiam hic videar aliis, utinam libraria respublica tem-
pestivum naufragium, vel fastum incendium pateretur, quo nu-
merus ac moles contraheretur librorum, qui doctis hominibus tam
noxius, tamque molestus esse videtur.* In nota (x) adjecta me-
minit cujusdam praeconis bibliopolae in Belgio, qui libros sub hasta
emptos statim pistrino dedit, ut in simplicem redigerentur char-
tam. Neque precio aut precibus moveri is potuit, ut vel unum
ex illis venderet cruditis. Id enim instituti sibi esse dixit, ut cum
alii tot libros conficerent, ille libris tumultum paret & exitium, ut
locum faceret praestantioribus. Hi tamen omnes de abusu tan-
tum, illisque scriptis quae nullius sunt pretii, loquuntur, tan-
tumque abest, ut omnes bonae frugis quoque Libri rejiciantur,
ut *Selneccerus* apud *Fritschium* l. c. approbet iri cujusdam pru-
dentis judicium; *habere nos libros nimis multos (inutiles) & ni-
mis paucos (utiles & egregios.)* Etenim tanta ex libris bonae no-
tae oriuntur commoda, ut etiam vivam institutionem hoc re-
spectu longe superare videantur. Cum enim illa ad eum tan-
tum locum, ubi docens vivit, illudque tempus, per quod docet,
restringatur, usus optimorum librorum ad externos etiam alibique
degentes, imo ad longam quoque posterorum seriem extendi-
tur. Dubitari ergo nulla ratione potest, eum cui tantae suppe-
tunt vires, ut etiam scriptis alios instruere possit, de societate hu-
mana quam optime mereri; modo reliquas quoque Prudentiae
regulas in scribendo observet, quarum duas tantum generaliores,
ad *argumentum & modum*, scribendi pertinentes, subjiciemus. *Quid?*

§. XXXIII. *Argumentum* scriptionis utilitate se com-
mendare debere evictum est, & exploratum; in rebus inutilibus
enim morari prudentis non est. Addunt deinde ut quoque ali-
qua ratione sit necessarium, rarum nec ubivis obvium. Ita *G. J. Vos-
sius de Cognitione sui* hoc scripturo suppeditat consilium: *Cogites*

F

etiam

etiam, an argumentum quod suscepit, melius tractarit, quam priores; hoc est an priorum inventis pulchra quaedam superaddat de ingenio suo: vel an cohibilius succinctiusque & majore cum ingenio rem exponat: & verbo ut dicam: an postquam tantum est librorum in orbe, ut iis legendis, nec plurimorum aetas sufficiat, nihilominus interfuerit, orbis litterati isthoc etiam scriptum in lucem prodire. Joh. Hoornbeck in summa contro. p. 32. 33. sic loquitur: Scribunt aliqui ea, quae ipsi nesciunt, qui nec seip-
 sos attendunt: alii, quae sciunt & fere ideo solum, quia sciunt; sed ii parum respiciunt, an alii ista ignorent: hi quidem non adeo male: sed uti sua causa illud agunt, non aliorum, ita is demum dignus scriptor est, qui omissis, quae obvia & passim haberi possunt, in illis pedem figit, eaque prosequitur ulterius quae restant aut indaganda, aut in usum referenda meliorem. & post aliqua interjecta: Scripturus hodie sit nonnullae lectionis, quo sciat, antequam se ad scribendum accingit, ea, quae vulgo sciuntur, ut non nota & dicta aliis, & longe saepe ac ipse facturus sit melius, sed alia, & aliquam partem aut meliora, aut ulteriora, aut quovis pacto necessaria proferat. Sic Jac. Acontius, in Epist. ad Joh. Wolfium de ratione edendorum librorum non indigna lectu: tum autem videndum quid extet, quid desiderari posse videatur. Ne ad idem argumentum proferam magni iudicii virum Verulamium quem uominasse suffecerit. Non satis est, ut quis bona scribat, nisi quoque se aliqua commendent necessitate, Celeberrimus Ludovicus l. c. aliquam addit limitationem. Postquam enim de glagiaris iis conquestus fuerat, haec subjungit: Tegunt plagii crimina excusantque, quod alium ordo commendet, alium ratio docendi, nonnullos ingenium aut iudicium. Vltimum genus ferre, & ego soleo, non primum & alterum, quae apud pueros veniam merentur, & in nota (d) de Doctoribus Academicis

demicis

demicis addit : Oportet Professore Academico scribere non
 nisi neque eruditorum causa : sed in gratiam discipulorum & Patro-
 norum. Addunt enim fiduciam discipulis libri a Magistro editi,
 & Patroni in otio delitere Professore existimant , cujus no-
 men non quotannis adpareat in bibliopolis. Bene itaque pruden-
 terque, qui hujus causae faciunt mentionem in prooemiis &c.

§.XXXIV. Sed quemadmodum haec omnia nos cuius ju- ^{Quomodo?}
 dicio prudentique arbitrio relinquenda esse arbitramur , ita de
 Modo scribendi ex multis haec notamus. Circa Tempus scriptio-
 nis insumendum in diversas abire sententias videas Autores Qui-
 dam de Libri praestantia judicant; ubi multum illi temporis in-
 sumtum est ; neque desunt virorum eruditissimorum exempla
 quae mori huic pondus addere videntur. *Isocratem* tres fere
 Olympiades in scribenda una oratione Panegyrica consumpsisse
Plutarchus autor est. *Manutium* aliquot saepe menses uni Epi-
 stolae impendisse testatur *Morhofius* in *Polyhistore*. Idem de
Virgilio referunt ; & *Capellanus* , celebris Poeta Gallus, Poëma-
 ti suo de puella Aurelianensi tot annos tribuit, ut, cum illud tan-
 dem prodiret non puellam , sed anum jam prodixisse qui-
 dam jocaretur. E contrario *Fortius* apud *Morh.* p. 408.
 Librum edituro hoc suppeditat consilium : *Dic chalcographis*
parent se , librum te dare velle excudendum, etiamsi ne pagi-
nam quidem paraveris. Tum facile totam voluminis speciem
animo concipere , inde singulas partes leviter, in comædiarum ar-
gumentum modum describere , denique quotidie , quantum illis
satis erit absolvere poteris. Cum sic inceperis aliquid, perfici-
ere debes , velis nolis. Et ad hunc modum *Salmasium*, *Carda-*
num, aliosq; schedas suas sine ulla revisione Typographis tradidis-
 perhibent. Media via & hic tutissima videtur , utque quivis
 habita ratione argumenti viriumque suarum, inter nimiae sui
 fiduciae & praecipitantiae Scyllam , atque nimiae sui diffiden-

tiae Charybdin securus progrediatur, omnino laborandum est. Cetera ad argumenti tractationem *solidam, ordinatam & perspicuam* referri possunt, qua tamen de re uberius differendi jam non est occasio.

Epilogus.

§. XXXV. Imprudentiae Litterariae characteres quinam sint, ex dictis abunde patere posse arbitramur. Siquidem qui consideraverit, quid Prudentia Litteraria suadeat tum circa acquisitionem eruditionis, tum circa usum ejusdem, facile etiam perspicere poterit, quot modis, vel in eligendo scopo, vel in exploratione sui ipsius, vel in adhibendis mediis, vel in impedimentorum remotione, vel denique in eruditionis acquisitae usu, vel abusu potius, peccari queat. Quodsi tamen alio forsan tempore occasio commoda nobis affulserit, & latius diduci haec, & novis locupletari observationibus, illustrarique exemplis poterunt. Nos interim benignissimum Numen ardentissimis imploramus precibus, ut omnium, qui litterarum studiis operam suam addicunt, animos Spiritu Prudentiae atque consilii exornet, omnesque illorum labores, imo voces etiam & cogitationes ita dirigat, ut Nominis Divini Gloria, Generisque Humani utilitas semper promoveatur.

Pascitur imprudens externo cortice vulgus
 Nuda placet species, abstrusae gemma medullae
 Despicitur, sed Temelior respexit Apollo.
 Vitia tu damnans latebras descendis in imas,
 Et clausas scrutaris opes prudensque recludis:
 Hinc permagna Tibi Pallas debere fatetur
 Praemia, conspicuos hinc jam meditatur honores.

Hisce pereximio Respondenti lubens merito applaudit

Jo. David. Koelerus, PP.

NOBILISSIMO ATQUE POLITISSIMO
SVO

DOMINO RESPONDENTI,

S. P. D.

PRAESES.

Postquam Illustribus atque Munificentissimis NV-
TRITORIBVS nostris placuit, & Te meae commit-
tere curae atque inspectioni, non sine ingenti animi
voluptate, & ingenii felicitatem singularem, & sum-
mum sciendi discendique ardorem in Te deprehendi. Un-
de facile illud obtinuiſti, ut Te, inter ceteros, amarem
atque diligerem, deque Studiis Tuis ornandis & augen-
dis, quantum quidem vires meae permittunt!, impen-
sius cogitarem. Eo majori igitur affectus sum laetitia,
cum Tua sponte Te ad defendendam hanc, quam con-
scripsi, Dissertationem offerres, ut qui privatos intra pa-
rietes hucusque diligentiam Tuam exercueras, publice
nunc vires tentares. Quemadmodum vero non potui
non hac occasione meum in Te affectum declarare, ita de
hoc eruditionis & diligentiae Tuae publico specimine ex
animo Tibi gratulor. Perge modo hac, qua coepisti,
via, studioque indefesso ad metam contende! Ego vero
non cessabo calidissimis a DEO precibus impetrare, ut
Tuis, ceterorumque mihi creditorum, studiis Ipse, pro
infinita sua Benignitate, adsit, imo praesit, ut omnia
ad scopum verum legitimumque dirigantur. Vale, &
res Tuas gere feliciter. Scrib. IV. eid, Dec. A. c. l. l. c. c. XI.

Cum

Cum Tua Musa Tibi concessit Amice! rotundo
Ore loqui, e cathedra gloria summa venit.
Hæc dum bella paras cunctis nunc inde patefcet

Quæ sint ingenii & sedulitatis opes
Sic laeto Sophies captabis munera plausu!
Et tandem Themidos munia sacra geres.

*Ita Nobilissimo DN. Respondenti amico suo, per dilecto, de edito
Eruditionis specimine congratulari atque applaudere voluit*

Leonh. Würfel, S. Theol. St.

Quas Tibi laudes tribuam perite,
mente dum scandis cathedram serena
Clara prudentis documenta nobis
Hic manifestans.

Nil juvant laudes, pia vota vero
Candidum pectus referunt amici
Hinc ego jungo bona vota votis,
Candida verum

En Tuis porro studiis honestis
Summus aspiret, Faveatque factis
Teque prudentem, studium coronet
Fronde virenti.

*Levibus hisce atque incomitis versiculis congratulantium
numerum augere voluit, arida atque exsiccata vena*

Christ. Melch. Stoerii

Th. Stud. Opp.

Laudis habet multum Prudentia, nosse studendi
Quae sit prudenter conficienda, viam,
Et rem iudicii magni, DOCTISSIME, sistis,
Nec minus ingenii dexteritate vales.

Lando Tuos ansus. Cum sit prudentia praesto,
Non dubito, Patriae commoda certa feres.

*Nobilissimo ac Iteratissimo DN. Respondenti, Amico &
Contubernali suo suavissimo haec pauca rudi Minerva
exarata gratulabundus apposuit*

Christophorus Stephanus Kazauer. Opp.

Coll. diss. A. 89, misc. 34